APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.

EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

CAROLUS GUST. CARLQUIST,

SCANUS.

DIE 18 DEC. 1840.

P. XLIII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Bruti, qui dicitur sensus recti, quo ductus filios suos ad supplicium dedit, viri potius vanam admirationem captantis, vel furore quodam animi popularis incensi quam tranquillo prudentique animo pro vera libertate dimicantis esse videtur.

II.

Carolus duodecimus si tomporibus Alexandri magni vixisset major certe fuisse posteritati videretur.

III.

Litteras antiquitatis adversariis suis invitis semper vim suam et auctoritatem ut optimam ingenii excolendi rationem retenturas esse, justum æstimatorem fugere non potest.

Item prohibemus sub pæna excommunicationis, salva semper monitione præmissa, ne quisquam secularis vel religiosus sacerdos homicidas sive alios quoscunque per nos vel alios a nobis jurisdictionem habentes, publice et nominatim eliminatos, excommunicatos vel interdictos, sine nostra auctoritate vel capituli nostri in ecclesiam introducant.

Item nullus sacerdos relaxet jejunium in aliqua parte homicidæ vel cuiquam publicam vel privatam agenti pœnitentiam, nisi hoc sibi per patentes literas videat esse concessum, inhibentes expressius ne in vesgocie introductiones aliquæ fiant pœnitentium nisi forte oppressione infantum et adulterio.

a - - - - - - præsumatur nisi prius nostra desuper requisita licentia speciali et specialiter parare poterit et oblenta pœnitentia præpositis sive officialibus nostris in remotioribus nostræ dyoceseos super oppressione infantum et reatu adulterantium ut misericorditer introducant. In aliis majoribus excessibus omnibus officialibus foraneis introducendi interdicimus facultatem, nisi fuerint mulieres vel personæ debiles et infirmæ.

Item præcipimus quod nulli sacerdotum sustineant homicidas infra ecclesiam, aut quemcunque alium publicantem vel intordictum, cum divina ibidem celebrantur officia, sed publice talibus denuncient ut exeant donec nostras aut commissarii nostri literas viderint super absolutione et satisfactione prædictorum.

Item nullus etiam sacerdos excommunicatum absolvant, aut reconciliet eliminatum in extremis positum nisi viderint in eo signum pœnitentiæ et præstiterint cautionem de stando juri de plene satisfaciendo, testimonio desuper adhibito fide digno.

Item præcipimus distincte ut præpositi teneant diligenter, ne cum alienæ famæ dispendio vagentur, perturbent in sua quiete subsistentes, nec ad suggestionem unius aut plurium compellant, pro adulterio vel quocunque alio crimine se purgare vel pecuniam publicam recipere nec infamia tanta, quanta eos laboret, quod scandalum generatum aliquod honoris proprii et famæ suæ dispendium patientur cum pœna aliqua pecuniarii juxta debiti qualitatem.

De decimis, denario Petri et cathedratico.

Item certo experimento ad longum doctum est, quod quidam tam

provinciarum præpositi quam ecclesiarum curati tanquam ingratitudinis filii ecclesiæ nostræ quæ eos ad honorem perduxerit æmulos se exhibent et ostendunt, dum decimas nostras nobis, prælatis, et caoonicis nostris debitas, quidam diminuunt, quidam ex toto auferunt et ne exsolvantur, impedientibus laycis nostris favent, quibus pro viribus in hac parte deberent resistere in damnum non modicum et in elusionem mandati nostri, eum eis debuerunt resistere et obstinatis in malicia communionis beneficium subtrahere. Ideo provideant sollicite tam præpositi quam curati quod decimæ, in granario ecclesiarum rationaliter et juste colligantur, conscribantur et dividantur cum debito modio et mensura, ita quod nulla portio aliquatenus defraudetur. Si vero tutores aut curati contrarium fecerint in hac parte, inventique fuerint fraudatores hi autem immemores honoris proprii permittant laycos dictarum decimarum præstationem impedientes sive retinentes tempore paschali a sacra communione omnino suspendantur donec solverint sive libere dimiserint hujusmodi decimas, ac plene emendaverint juxta statuta prædecessorum nostrorum et contemnentes solvere decimas de jure ecclesiastico ecclesiastica careant sepultura.

Quidam etiam clericorum decimas nostras ita confuse et permixtim sine computu in domibus quibus eas offerunt colligunt et comportanti volumus itaque et in virtnte sanctæ obedientiæ nec non sub pœna trium marcarum destincte mandamus, ut quilibet curatus decimas cathedralium ecclesiarum, et denarium Petri, qui est census romanæ ecclesiæ, distinctam afferat ad eccclesiam cathedralem.

Item etiam sollicite provideant tam præpositi quam curati, ut ecclesiæ nostræ prædictæ in præmissis et aliis, et etiam decimis nostrorum prælatorum et canonicörum colligendis et dividendis de singulis absque dissimulatione quantumcunque anni sementis et canonicis monitionibus circa decimas nostras, fideliter peragant sub more et forma in antiquioribus synodalibus constitutionibus nostræ ecclesiæ super eisdem decimis disponentibus designatis.

De Testamentis Clericorum.

Cum clerici ab ecclesia multa beneficia perceperint et eorum peculium patrimonium ecclesiæ Jesu Christi et quia secundum canones de his qui consideratione ecclesiæ percipiunt nullum de jure possunt facere testamentum, juxta laudabilem et antiquam statutorum ordinationem al-

mæ scarensis ecclesiæ priusquam episcopalem sedem et ecclesiam cathedralem in testamento respexerint.

Volumns et ordinamus pro erigendis unis columpnis in domo domini quod decedentes clerici consequenter respiciant necessitatem pauperum studentium dando tres marcas bonas, tamquam piam elemosinam, loco testamenti.

Volumus etiam quod tres fideles collectores sive procuratores pauperum studentium per nostrum venerabile capitulum eligantur, qui omni anno faciens rationem de levatis, ita quod singula testamenta sive collata subsidia ad usus conveniant studentium.

Similiter ad eundem usum studentium tertiam partem bonorum decedentium ab intestato extreme exigant et ad usus eorum fideliter convertant.

Nomina Benefactorum recitentur.

Præcipimus insuper quod singulis diebus dominicis, sermonibus finitis, in facie singularum ecclesiarum parochialium recitentur nomina defunctorum benefactorum et patronorum ipsius ecclesiæ, prout et fundatorum ecclesiæ nostræ cathedralis.

De Præbendis Ecclesiæ nostræ Scarensis.

Præcipimus sub excommunicationis severissima pœna, monitione canonica præmissa, præcipimus etiam contrafacientes quod præbendati ecclesiæ nostræ scarensis intersint divinis et visitent chorum saltem in majoribus festis vel horis, nisi fuerint aliis legitime impediti, sicut in constitutionibus provincialibus latius est expressum.

Similiter præbendati et altaristæ Ludosiæ apud ecclesiam sancti petri saltem in diebus festivis in majoribus horis chorum freqventent alias malitiam facientes ex malicia vel contemptu pœnæ subjacent supradictæ.

De Clericis adventitiis et collatione bernficiorum, et literis ordinationis sive formatis.

Caveant ordinati sub pæna amissionis beneficiorum suorum, quod collationes beneficiorum suorum cum formatis literis suæ or-

dinationis habeant, alias careant exsecutione ordinum susceptorum ut in pastoralibus.

Item præpositis ruralibus et curatis etiam distincte prohibemus, ne sacerdotes a nobis noviter ordinatos, qui non habuerint formatas suas literas ordinationis suæ, vel per biennium in choro scarensi non servierint, sive a nobis vel capitulo super hoc specialem non habuerint licentiam, ad exsecutionem suscepti ordinis, non admittant. Alioquin talem vicarium contra hujusmodi mandatum assumens IX marcas, assumtus vero sive vicarius tres marcas sine aliqua remissione ad usum studentium solvere teneantur.

Similiter et eos qui clericos sive religiosus adventitios sine formatis, citra nostram conscientiam et licentiam colligunt indifferenter.

Item omnes insuper sacerdotes hujusmodi noviter promotos aut etiem in posterum ordinandos monemus primo 2:do 3:tio ac peremptorie inhibentes eisdem ullatenus in virtute sanctæ obedientiæ, ne alicui laycæ personæ cujuscunque status vel conditionis existat, homagium præstent, aut eorum servitio se implicari sine nostra licentia speciali, contrarium facientem suspensionis ab officio præmissa monitione canonica extunc ferimus, et incurrere volumus ipso facto, et si durante hujusmodi suspensione damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laquco se involvat, a quo non poterit nisi per sedem apostolicam liberari.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

Item præcipimus sacerdotibus curatis, quod omnes reditus et possessiones ecclesiarum tam ad mensam sacerdotis, quam ad fabricam ecclesiæ spectantes, in missalibus conscribant, et a reditibus ecclesiæ fideliter distinguendo fabricæ, et quod uon vendant ecclesiarum possessiones sine licentia nostra vel capituli nostri prædia vel agros, prata, libros, calices, ornamenta, vasa aurea vel argentea, vestes et cetera talia divino cultui deputata; nec etiam in ea impingant sine licentia nostra prædicta.

De jure Patronatus.

Item præcipimus quod nullus sacerdos det vel promittat per se vel per alium patronis vel aliis ut obtineant beneficium ecclesiasticum nec